

Christian Woldenberg Johannes Lucht

Disputatio Philologico-Iuridica De Maiuma, Ad L. un. C. Lib. XI. Tit. XLV.

Rostochi[i]: Kilius, 1665

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747342954>

Druck Freier  Zugang





N. K. — 2 (91.)

1. Schütz de possessione.
2. Schütz de usu fructu.
3. Schütz de obligationibus.
4. Pahn positiones ex jure civili et canonico.
5. Pahn de praesagio rerum publicarum.
6. Pahn an licet Christiano ethnico jure uti.
7. Pahn de deorsu in contractibus minorum.
8. Pahn de concursu actionum.
9. Stypmann de concursu actionum ejusque effectu.
10. Pahn de concursu et prioritare creditorum.
11. Stephani de concursu creditorum eorumque privilegiis.
12. Pahn de processu judiciario.
13. Pahn de austraegis.
14. Pahn de nobilitate.
15. Pahn positiones ex jure civili et canonico.
16. Pahn de jure emphyteutico.
17. Pahn de injuriis et famosis libellis.
18. Embere de beneficio competentiae.
19. Embere de necessaria defensione.
20. Redeker de gratia.
21. Redeker de homagio.
22. Redeker de criminibus publicis.
23. Redeker de morte.
24. Redeker de neutralitate.
25. Redeker de liquidatione.
26. Redeker de errore calculi.
27. Redeker an suspensus de tali crimine ex quo poena infamiae aut alia corporis afflictiva irrogari possit, ad juramentum praestandum sit compellendus.
28. Redeker de confessionibus.
29. Laurenberg de liberarum civitatum v. R. I. eminentia, jure et privilegiis.
30. Laurenberg de interdicto Salviano.
31. Woldenberg de vestigalibus publicis et amissionis.
32. Woldenberg de aetate canonica et qualitate et ordine praeficiendorum.
33. Woldenberg an consensus parentum in nuptias liberorum de jure divino, naturali, gentium civili et canonico de necessitate an honestate requirendus.
34. Woldenberg de majuma.
35. Woldenberg de novo anno seu oblatione votorum.

36. Woldenberg idea seu delineatio juris publici in imperio Rom. Germ.
 37. Woldenberg de favore episcopi quod publice interest.
 38. Rahne de successione conjugum.
 39. Radov. an factum senis procuratoris et coloni aliorumve alterius nomine possidentium, atque possessionem negligentius vel dolose prodebatum domino verove possessori nocent?
 40. Volochow de quaestione in tortura reorum.
 41. Hegenwaldt de tributis extraordinariis.
 42. Schütz de investitura.
 43. Ströck de jure testandi inter liberos.
 44. Ströck de pactis successoria, eorumque iustitia.
 45. Plinius de jure necessariae defensionis. Völsper.
 46. Ziegler de eo quod iustum est circa mortuos.
 47. Sibrand de valore juramenti actui adpositi.
 48. Sibrand de intercessione mulieris pro marito.
 49. Redeker de tortura prohibenda.
 50. Redeker de quaestionibus seu tortura reorum.
 51. Leiser de aquae pluviae arcendae actione.
 52. Leiser de responsis prudentium.
 53. Novius de fictione.
 54. Radov. de archivis.
 55. Pomerech de auctoritate juris.
 56. Beckmann de obligationum confusione et resuscitatione.
 57. Beckmann juris de non appellando et differentia juris de non evocando.
 58. Schleenstein de affinitate.
 59. Reichel de beneficio probandi secundae instantiae.
 60. Rümelin de donatione remuneratoria et obligatione antidotali.
 61. Gabe de iuribus et privilegiis miserabilium personarum.
 62. Romaner de corpore delicti in criminibus facti permanentis potioribus, ad effectum condemnationis considerato.
 63. Chuno ad L. S. C. ad L. Jul. majest.
 64. Mylius de morgengaba Zittaviensi.
 65. Heier de primo cautionis gradu.
 66. Rahne de incorporatione.
 67. Redeker de actu judiciali extremo seu executione.
 68. Redeker de quaestoribus.
 69. Woldenberg de abactu sive abigenti.
 70. Lambert de misfollareis juris controversiis et appellationibus.
 71. Wedderkopff de irrohulatione actorum.
 72. Aichel Hafer juris controversi.

DISPUTATIO PHILOLOGI-
CO-JURIDICA

DE

MAJUMA,

Ad L. un. C. Lib. XI. Tit. XLV.

Quam

Permiffu & Suffragio

Nobiliffimi JCTORUM Ordinis
in alma Rofarum Academia

Sub Praefidio

Nobiliffimi, Ampliffimi, Confultiffimi atque Excellentiffimi

DN. CHRISTIANI VOLDENBERGII,

Crempa-Holfati, Phil. J. U. D. Decretal. P. P. Ducal.

Confift. Affeff. & p. t. fuæ Facultatis Decani, Præ-
ceptoris & Hofpitis fui ætatem venerandi.

Ad diem 3^{to} Maji, in Auditorio Magno

Publica & placida difquifitioni exhibet

JOHANNES LUCHTIUS, Holfat.

Aristot. lib. 10. Ethic. ad Nicomachum c. 6.

Ludere, ut res ferias agas probandum videtur. Requieti enim fimilis lu-
dus est. Verum quoniam perpetuum laborem ferre non possumus,
laxamenti & quietis indigemus. Non est igitur finis quietis.
Fungendi enim muneris causâ quiescimus & cessamus.

ROSTOCHI,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LXV.

371

DISPUTATIO PHRASEOLOGICA
CO. HEBRAICA

MEALUM A

AD. M. C. LXXI. M. XLV.
P. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

JOHANNES LUCHTUS HOLLER

ROSTOCKI

Typo JOHANNIS KILII Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXXI.



Autores, qui de Majuma scripserunt, ut
de Ludis veterum.



A rubricam, titulum
& materiam vide Angelum,
Plateam, Lucam de Penna, P.
Rebuffum, Alciatum, Engle-
bermaum, Cujacium, quos re-
fert Sebastianus Nævius. A.
Perezium, Brunnemannum,
qui tamen omnes paucis hanc
materiam tetigerunt. Adda-

tur Barnabas Brissonius *de spectaculis*, Lipsius *in Amphite-
atro*, Johan: Meursius *de Ludis*. Gregorius Gumpzel-
heim: *de Exercitiis Academicis*. Joh. de Aquila *de ludis
omnibus in genere*. Franciscus de Amaya *in repetit. prædi-
ctæ legis*. Andreas Rauchbar: *in quæstion. Civil. & Saxon.*
p. 2. quæst. 25. per tot.

*De ludo latrunculorum (vom Schach- oder König-
Spiel)* videatur integer tractatus in folio editus Lipsiæ
c. 16. sub nomine Gustavi Seleni, & ante ipsum à
venerabili Poëta Christiano Vida adumbratus carmine
Heroico. His adde, quos enumerat Tobias Magirus
in suo Polymnemonæ.

A 1

De

*De ludis Roman: evolve Alexandrum l. 3. gen. dier. c. 21. Au-
son: in eclogario f. de Gracorum: Meursium de tabula lusoria.
Palamedem Danielis Sonterii. De Spectaculis Tertullianū:
Piccart. dec. IV. c. 4. & ante omnes Platonem VII. de LL. p.
88. lit. D. & Clement. Alexandrinum lib. 3. pedagog. p. 186.
& seq. Præter hos consule Rosinum lib. 5. de Antiquit.
Rom. De certaminibus Olympiacis, de Pythiis, Nemeis, Isth-
miis Rav. Text or. lib. 4. c. 105. 106. 107. De Spectaculis Val.
Max. lib. 2. c. 4. Natalem Comitum lib. 5. c. 1. & Barnab.
Briffon. de spectaculis in genere, & de Majuma p. m. 228. 229.
& seq. De ludorum origine Joh. Woverum in eruditissi-
mo libello de umbra c. 25. De inventione Ludorum, pile,
aleæ, tesserarum, faruncolorum s. latruncolorum. Polydo-
rum Virgil. de inventione rerum lib. 2. cap. 13. Joh. Ja-
cob. Speideliū in Speculo Jurid. Polit. Philologico-Histori-
carum observationum in verb. Mayen, Gericht / & verb.
Meyenstecken / num. 15. & 17. p. 827. & 828. & in verb. Spie-
len / Spielgeldt. n. 989. p. 1163. & in verbo Thurnier. p. 1276.
Item Pardulphum Pratejum in Lexico Juris Civ. & Can. in
voce Majuma p. m. 316. Simon Schardium in opere suo Histo-
rico in verb. Majuma. Spiegelium in thesauro pract. ad verb.
Majuma. Baronium & Hottomannum de verbis Jur. verb.
Majuma. Rudolphum Hospinianum de Origine, Pro-
gressu, Ceremoniis & Ritibus Festorum dierum Christianorum
p. m. 88.*

DE.

DE. MAJUMA.

TIT. XLV.

I. IMPP. ARCADIVS. ET. HONORIUS. AA.
CÆSARIO. P.P.

CLEMENTIÆ. NOSTRÆ. PLACUIT. UT.
MAJUMÆ. PROVINCIALIBUS. LÆTI-
TIA. REDDATUR: ITA. TAMEN. UT.
SERVETUR. HONESTAS. ET. VERE-
CUNDIA. CASTIS. MORIBUS. PERSE-
VERET. *Dat. VII. Cal. Maji. Constantinop. Arcad. III.
& Honor. III. AA. Cons.*

Thesis I.

Methodos ac rationes artificiosè ordinatèq; scribendi qua-
tuor esse constat, per quas paratur *πῶσι διδασκαλία καὶ
μάθησις Πραγματικῆ*. Sic autem se ordine habent, (non
quidem, ut ex eo dignitas & præstantia sit dijudicanda, sed
qualis sit usus, quem ipsarum alia prius, alia posterius, alia deinceps no-
bis præbeat in rebus scribendis ac cognoscendis) *Αναλυτικῆ, Διαίρε-
τικῆ, Οριστικῆ, Αποδεικτικῆ*. Methodus resolvens, dividens, defi-
niens & demonstrans. Dux sunt tanquam primariæ. Dux autem
tanquam secundariæ & pedissequæ, interviunt enim prioribus. Nos
saltem ex supra dictis eruimus definientem & dividentem methodum,
quam in hac nostra Dissertatione observandam constituimus. Cujus
effectum luculenter demonstrabimus, explicando non solum vocis
Majumæ significationem (h. e. Etymologiam, ejusdem Homonymi-
am, & Synonymiam proponendo) ac definitionem causalem (h. e.
definitionem ex quatuor causis, Efficiente, Materiali, Formali & Finali
fabricatam) tradendo, sed & dividendo Majumam in Majumam
veterem & novam. Hisce, aliisq; ad perspicuam singulorum Legis
verborum interpretationem facientibus, diligenter excussis, addentur
insuper, quæ ratione ludorum ad præsentem nostram legem commodè
transferri poterunt. Et siquidem non amplius sit in usu ludus Maju-
mæ,
A 3

ma, magni tamen momenti est scire originem ejus & rationem, & ap-
ponere lucernam ad rubricam hujus Legis, quæ in ipsis antiquitatis pe-
netralibus abstrusa veluti est, & recondita. Potest autem hæc lumen
suum non aliunde petere ac mutuari, quam ex Philologia Historico-
Juridica, quæ nulli disciplinæ magis contermina, quam Jurisprudentiæ,
uti pater *exit. D. de V. S.* qui meritò Philologia Jurorum inscribi pos-
set. Unde hoc rescriptum *Francisc. de Amaya* desperatum vocavit,
cum A. C. 1621. idem interpretandum suscepit, *lib. 3. Observat. Juris.*
c. 5. p. m. 389.

II. Ad Etymologiam quod attinet, nobis Christianis
commodè licebit Majumam à mense Majo, utpote eodem cele-
brari solitam, derivare. Majum autem à Majestate cum *Nathan. Chytrae*
in Fastis Ecclesie Christianæ. lib. 5. p. 213. derivamus, ubi ita canit:

Nil mihi cum Maja, nil cum majoribus istis
Majestas mensi nomen memorabile Majo
Contulit, æterna rex majestate verendus.
Quo Christus tot pollentis miracula dextræ
Edidit, & totum implevit vi numinis orbem,
Scilicet hoc homines inter, jam victor averni,
Christus versari, castos invisere cætus,
Et coram sese redivivæ ostendere genti.
Sanctorum est solitus: qui se quoque lumine claro
Contingi, & vivas audire & reddere voces,
Continuosq; unâ gaudebant condere soles.
Hoc ipso illustri cælum natale triumpho.
Ingressus, duris invicta repagula claustris,
Atq; triumphatos, flammis ultricibus, hostes
Sustulit, hoc legem sacro de vertice Sinæ,
Fulminea voce & mentem quatiente tremore
Sanxit & exposuit, trepidis longo agmine castris.
Hoc sacer è cælo demissus spiritus arce
Hæc etiam DEUS omnipotens & trinus & unus
Laudatur, summoq; homini celebratur honore
Immortale, unum & solum venerabile numen,
Quid memorandum æquè, quid nomine Majestatis
Dignius aut toto invenies augustius anno?

Cui

Qui stipulatur *Svidas* & scribit à Majo mense fictum vocabulum, quod
 cives Romani nobiliores certo ejus mensis die Hostiam mariumam Ur-
 bem ludibundi oppugnarent, seleg; in undis dejectos aquâ invicem
 aspergerent. Ejus enim hæc sunt verba: Πανήγυρις ἐγένετο ἐν
 τῇ ῥώμῃ κτ' τὴν μαῖον μῆνα, τὴν ᾠρελίον καταλαμβάνοντες πόλιν
 τὴν λεγομένην ὄσταν οἱ πρῶτον τῆς πόλεως πλεῖντες ἠδύπαθ' εἰν ἠρε-
 χοντο ἐν τῆς θαλάττης ὕδασι, ἀλλήλους ἐμβάλλοντες. ὅθεν
 καὶ Μαϊούριαις ὁ τῆς ποιότητος ἑορτῆς καιρὸς ὠνομάζεται. Ἐτέλεν ἡ μέ-
 χρις Αναστασίας βασιλείας οἱ ἐν κωνσταντίνῃ πόλει πανήγυριν τῆ βρυ-
 τῶν καὶ ταύτην Αναστασίας ἑπαύσε, καὶ τὴν τῆ κυῶν ἡ ἑτέλεν πα-
 νήγυριν οἱ ῥωμαῖοι κτ' τὴν αὐγυρον μῆνα, ἀναίρῶντες αὐτὰς ἐκ τῆς
 ἀλάσεως τῆς ὑπὸ γάλλων, διότι ἀνύλακτοι ἔμειναν, τῆ χηνῶν ἐμ-
 βοησούντων. In provinciis autem qui ad mare vel ad flumina habita-
 bant, ipsi tunc ludum exercere cæperunt obscenissimum, atque
 indecorum, sic docet *Alciatus lib. 5. parerg. c. 5. Greg. Giral. in Histoa.
 Deor. syntagma. 17. Pancirol. c. 253. lib. 2. thes. Spigelius relatus à Schardio
 in verbo Majuma. Benedictus Curtius ad arresta amor. arv. 5. Ho-
 rum autem sententiam non adeo probare videtur Franciscus à A-
 mayâ, dum in *Observ. suis Juris lib. 3. c. 5.* statuit, mensem Majum
 non ita aptum fuisse, ut nudi in undis luderent; quippe circa illud
 tempus frigora quidem mitescunt, non tamen in totum recesserunt.
 Idem dicto loco refert, *Baronium & Hotomannum* dicere, quod hic
 ludus nomen sortitus sit à Majuma, nobili Gazæorum portu in Pala-
 stina, cujus meminit *Nicephorus lib. 8. c. 33. & lib. 10. c. 4. & lib. 12. c. 47.*
 Alii aliam derivationem inducunt, *Enimundus Bonafidius & Hotoman-
 nus* referunt Majumam deduci à Syriaco vocabulo Maiim, quod no-
 bis aqua est; unde fortasse *Svidas* ad aquæ asperionem respexisse
 videtur, vide *Pratejani in Lexico Juris Civ. & Can. in voce Majuma.*
 Nos tamen cum *Francisco Amayâ* in ea sententia permissimus à Majo
 mense rectius dici Majumam, non quidem quod spectaculum ma-
 ritimum, sed terrestre, quodq; celebratum fuit non à Romanis, vel
 Constantinopolitanis, sed tantum à Provincialibus, i. e. qui in provin-
 cia domicilium habent, non qui ex provincia oriundi sunt. l. 190. D.
 de V. S.*

III. Ery.

III. Etymologiam Majumæ excipit Homonymia.

Quantum ex Geographis apparet, novimus, Majumam etiam dici nobile illud Gazeorum navale, seu portum in Palæstina, viginti stadiis à Gaza distantem, quæ Christianam religionem à Constantino Imperator accipiens, urbs facta est, & Constantia vocata fuit. Huic postea Julianus Civitatis jus ademit, nomineq; Constantia privavit, & Gaza portum appellavit. *Hæc Carl. Steph. in Diction. Histor. ex Nicephori Calisti lib. 8. c. 33. & lib. 10. c. 3. idem & Sozomennus c. 3. Marcus Diaconus de rebus gestis S. Porphyrii Episcopi Gazensis, memoria prodidit, templum ibid. Veneris fuisse, cujus simulachrum Imperatorum Arcadii & Honorii ætate adhuc extitisse memoratur. Præterea constat Majumam commune nomen esse cum Syriaco vocabulo Majman, quod Latinis aquam significat ut autor est Syidas, in Lexico Jur. Prætei: Franciscus de Amaja d. lib. 3. c. 5. Huc etiam referri potest Græcum illud Μαύλιον, quod edulii genus, totâ quidem ætate, sed mense potissimum Majo confici solitum, Etymologici autor: *ἡ δαικίνη, εἶδος μάλης καὶ λαχάνης, ὅτι τῷ Ἰέρει γίνεται, Ἰερδακίνητι τῷ μαιλίον. Suidas Ἰερδακίνητι τὸ παρήμιν μαιλίον. Hesychius Ἰερδακίνας εἶδος μάλης ὡς αἰτθικὸς καὶ αἰ παρήμιν Ἰερδακίνας ἤτι μαιλία Meurs. in Glossar. Græco barbar. p. m. 406.**

IV. Dehinc accedimus ad Synonymiam. Græcè dicitur Μαῖμας, Latine Majuma, æ, seu ut Nicol. Mareschall. in lib. 5. c. 4. *Annal. Herul. statuit, Majuma, orum. i. e. Festa Majalia. Rudolpho Hospin. in tract: de origine Festor. Christ. p. m. 88. dicuntur Floralia seu Laurentalia. Germanicè das Meyenfest. Lucas de Penna hoc genus ludi dictum autumat Mimiam, ab eo ludi genere, quod faciunt histriones & mimi, qui corporales aliorum motus præsentant, & variis gestibus hominum mores & vitia ridiculè imitantur, ut hodie moriones & ludiones in Principum aulis (die Hoff-und Stocck Narren.) Hæc Pennensis interpretatio latius quidem à prædicto Francisco d' Amaja refertur, sed acriter ab ipso impugnatur, & solidis argumentis refellitur. n. 6. quorum unum & alterum hic lubet apponere.*

Primò, quia aliud est Majumæ læticia, aliud Histriones, qui illam actitabant, quemadmodum differt fabula à scenicis & editoribus, Poetæ,

Poetae, qui comœdias composuere, ab iis, qui eas agebant. Item & Thymelici, qui modulos in fabularum actionibus faciebant. i. e. musici *l. 4. in princ. D. de hu, qui notantur infam. l. Septimã. 10. D. de pollicitat.* Talis fuit Tymele uxor Latini Pantomimi, cujus *Mart. lib. 9. Epigr. 29.* meminuit, qua & Domitianus plurimum fertur delectatus, ut *idem. lib. 2. Epigr. 4.* monet:

Qua Thymelem spectas, derisoremq; Latinum.

Illa precor fronte carmina nostra legas:

Secundò, quia hîc non agitur de mimis, sed de Majuma, non de Mimia, quæ vox nullibi reperitur injure, neque in probato aliquo auctore. Mimi autem à *μυμιόμοι* ritè derivantur, de quorum obscœnitate extat locus *apud Laetant. lib. 6. de vero cultu. c. 20.* ita referentem: *Histrionum quoque impudicissimi motus quid aliud nisi libidines docent? Quorum enervata corpora & in muliebrem incessum, habitumq; mollita, impudicas fœminas inhonestis gestibus mentiuntur. Quid de mimis loquar corruptelarum præferentibus disciplinam, qui docent adulteria, dum fingunt, & simulatis erudiunt vera? Huc usque Laetantius.* Unde etiam nostris LL. inter infames numerantur. *L. 1. 2. §. ait Prætor. 5. D. de hu, qui notant infam. l. pen. C. eodem. c. 1. causa 4. quest. 1. c. 2. D. 33. c. pro dilectione. 95. D. 2. de consecrat. l. 4. C. de Episcop. audient. l. 4. G. de Spectac. l. 27. D. de Oper. Libert. Nov. 115. c. 3. vers. causas.*

V. Hujus *Francisci d' Amaya* sententiam meritò & nos in hoc sequimur, nec discedimus ab eodem, qui contra jejunam *Rebuffi & Mendozæ* interpretationem insurgit, non approbando eorum sententiam, sed negando, Majumam appellari posse festivitatem quandam puellarum, Kalendis Maji olim celebratam, quæ h. m. *apud prædictum Amayam* describitur: Puella quædam exactè ornata, ac vestibus pretiosis induta ponebatur in curru, frondibus & floribus pleno, quæ vocabatur Regina, erantq; aliæ puellæ circumstantes, illi ministrantes, atque eam comitantes in loco publico, quæ à transeuntibus pecuniam exposcebant &c. Hæc probari non possunt, cum non satis explicetur nostra lex, quæ agit de spectaculo fœdo, & procaci, *ut in l. 2. C. Theodos. h. 1.* Deinde, cum Provincialibus hæc lætitia restituta sit, denotari videtur, puellas illam non exercuisse, sed homines. *l. provinc. 190. D. de V. S. ubi Gaddam & Brechem.* Denique, quia nullo auctoris classici testimonio

B

niq

nio supra dicti *Rebuffus & Mendoza* suam munierunt sententiam. Hinc plures existimant, *Majumam* commune esse nomen cum *Floralibus ludis*, qui ad cultum *Deæ Floræ* instituti olim fuerunt, obscæni sane penitusq; castis oculis auribusq; & cogitationibus merito excludendi. In hac sententia fuerunt *Gregor. Girald. in hist. Deor. Syntagm. 1. p. 40. Rudolphus Hospinianus in tract. de Festis Christian. p. m. 88. 89. 90. & Scardius in Verb. Juris verb. Majuma.* De hisce *Floralibus* tractant fufius *Plinius lib. 18. c. 29. Varro de re rust. lib. 1. cap. 1. Ovid. latè lib. 5. Fastor. Macrobius lib. 1. Satur. cap. 3. Alexand. ab Alex. lib. 6. Genial. cap. 8. Rosinus lib. 2. antiq. Rom. cap. 20. & lib. 5. cap. 15.* Qvam supra dictorum sententiam firmis & solidis argumentis *Francisc. d' Amaya* refellit, vid. d. l. p. m. 394 & seqq.

VI. Paucis hisce ad nominis expositionem & intelligentiam præmissis, ad ipsam rem definiendam nos accingamus necesse erit. Definitio enim, ut *Quintilianus lib. 7. c. 4. ait*, est rei propositæ propria, dilucida & breviter comprehensa verbis enunciatio. Definitionem autem nominis esse & rei, satis apparet ex *Dialectica*. Illa quidem est, qua nominis s. vocis significatio explicatur. Hæc vero, quæ essentiam, aut causas, aut partes, aut accidentia rei explicat. Hinc quatuor rei definitionum formæ constituuntur, essentialis, causalis, partialis & accidentalis, ut docemur in *Dialectica Juris Matthie Stephani lib. 1. c. 19. p. m. 40. & seq.* Ex quatuor hisce definitionum formis causalem nos præ cæteris amplectimur, *Majumam* per causas suas definiendo, h. m. *Majuma* est lætitia s. Festivitas solennis ludorum anniversariorum, ab Imperatoribus *Arcadio & Honorio* Provincialibus indultorum, ita tamen, ut honestas serveretur, & verecundia, castis moribus digna, perseveret. Notandum hîc venit, in causalibus definitionibus hoc peculiare esse, quod loco generis semper habeant formam, quemadmodum substantiales loco generis præ se ferunt materiam. In nostra autem definitione *Majuma* s. *Majumæ lætitia* est definitum, reliqua verba definitio. Forma, quæ ponitur loco generis est lætitia solennis, Materia s. subiectum sunt Provinciales, quibus hic ludus apertus fuit. Causa efficiens sunt Imperatores *Arcadius & Honorius*. Causa finalis, ut serveretur honestas & verecundia castis moribus perseveret.

VII. Ma-

VII. Majus dividit potest in veterem & novam.

Verus illa dicebatur, qua obsceni ludi peragebantur. Nova, qua castitas morum in consuetis ludis perseverabat. Ratione hujus omnes ludos ritè dividemus. Ludi autem vel sunt artis, vel fortunæ, vel mixti, i. e. partim artis, partim fortunæ. Ludi artis vel merè artificiosi sunt, in quibus nullus fortunæ locus relinquitur, sed qui sola arte, viribus vel ingenio peraguntur. Et hujusmodi ludi regulariter liciti & permitti sunt, ut si qui hastâ certent, vel pilo jaciendo, luctando, pugnando. l. 2. §. 1. C. de aleat. Et tales quoque ludos esse constat quinque illos, quos Justinianus enumerat in L. fin. C. de relig. & sumpt. fun. que est in recentioribus l. 1. C. de Aleator. Adde edit. Plantin. ubi Græcæ constitutiones adduntur.

1. Μονόβολον; i. e. singularem saltum, vel ut vulgaria exemplaria habent, Corycovelon, κωρυκοβαλλον, quem Accursius Comonovolon appellat, & interpretatur lapidis in longum projectionem, Alciat. pilæ jactationem, Petrus Gregorius, ludum sacculi scorracei inflati seu follis, vel pilæ inflatæ. Das Ballon schlagen.

2. Κομπρονόβολον, i. e. saltum conte suffultum, vel, ut est in veteribus Codicibus, comodiaulion, κωμοδιαυλον, vel, ut alii legunt, comodavolon, concolinovalon, i. e. juxta Accursii interpretationem, lapidis vel pilæ in breve spacium projectionem, vel juxta Gregorii, cursum incisum, vel currendi certamen per stadium, cursum lusorium.

3. Quintanum contagem sine fibulâ, κυντανόν κόντακα χωρίς τῆς πόρπης, à Quinto inventore sic dictum, i. e. jaculationem hastæ, pili, vel conti sine cuspe, spiculo, aculeo, vel ferro, l. 1. C. d. tit. de aleat. vel secundum lectionem vulgarem, basilinda, βασιλίινδα, i. e. ut glossa imperitè vertit Regindalia, das Königspiel / quem post Julium Pollucem, Alciatus & Pet. Gregorius opinantur fuisse ludum, cum sorte ex pluribus rex ejusq; ministri eligerentur, cujusmodi lusus genus apud Pontificios circa Epiphaniorum festum etiamnum hodie celebrari solet. Alii in quo equite corrente res posita in signum lancea elevatur, vel ubi equites currendo in certamen rem proliciunt, Joh. Aquila de omni ludor gen. c. 5. periphrasi. 1.

4. Περχυτήν i. e. colluctationem, in vulgaribus carampon, qui qualis lusus fuerit, ignorare se profitentur Alciatus & Pet. Gregorius, qui tamen addit, forsan rectius legi carambon, vel, ut in Græca constitutione, κατ' ἀμφῶν, ut sit certamen duorum concurrentium. Alii
B 2
ajunt,

ajunt, fuisse ludum, ubi fraudis evitandæ causâ cum ligno vel aliâ materia, puta ex pixide, i. e. futillo vel plumo tali, vel taxili projiciuntur. Das Trächterspiel / durch den Trächter die Würffel werffen. Sed hic ludus merito in numero prohibitorum ponitur, cum in aleæ, non virtutis, aut artis speciem cadat. *Cujac: in paratit. C. de Aleat.*

5. *ἵππων* Hippicæ seu Hippodromum, Trojam vel Pyrricham, i. e. eorum curriculum. Vulgares Codices ineptè Reypularum, quem *Accursus* dicit esse ludum, quo pondus dentibus elevatur. *Boik. in c. pen. de vit. & honest. cleric.* *Alciatus* nominat *πέσση λησιπέος* à decursu latrunculorum. *P. Gregorius* *ἐπιμαχισμὸν*, i. e. ludum, in quo imitatio est conversionum ordinum militarium. Vide de horum quinque ludorum variis & diversis appellationibus, eorumq; significationibus *Alciat. lib. 1. prætermis. in verb. lusum aleæ.* Qui inquit, se ista ludorum genera, ut quidem in vulgaribus codicibus recensentur, nusquam legisse, nec eas quidem voces in aliquo significatu, ideoq; se hæc omnia, cum nihil certi habeant, per conjecturam referre. *Hoftiens. in summatit. de excess. prælat. versic. licet tamen ludere. Cujacius in Paratit. C. de Aleat. &c.*

VIII. Hæc adjungimus similes lusus, qui virtutis & ingenii excitandi, vel acuendi causâ fiunt. *L. qua actione 7. §. 4. L. 5a. §. fin. D. ad L. Aquil. L. Athletæ 4. D. de his, qui notantur infamiâ. L. Athletæ 8. D. de excusat. tut. vel curat. L. 1. §. 6. D. de postulando. L. 40. D. de re judic. L. 5. C. que res pig. oblig. pos. L. un. C. de Athlet.* Et imprimis, qui hoc tempore, in urbibus & aulis Principum, civium & Nobilium exercendorum gratia instituuntur, ut exercitia jaculatoria, (das Armbrust-Wußqueten / klein und grosse Stück schiessen /) torneamenta das Thurnieren oder Langenbrechen / à *Manuele Commeno*, Imp. Constantinop, inventa; Ab *Hinrico Ancupe* seu *Humili*, Imp. Rom. A. C. 935. instituta Magdeburgi. *Calvis. Chron. Hieron. Henning. in opere Geneal. in stemmate Reg. Sax. & Gal.* & à Canonistis, ut exercitia, quæ ingenti certè periculo non carent, rectè improbata dicimus. *constit. Extravag. Job. 22. de Torneamentis tit. 9.* Quibus & *Jus Civile in Nov. 69.* aliquo modo ad stipulari videtur. De consuetudine sane in aulis bey Fürstlichen Höchzeiten / Beylagern / aliud observatur, hæc tamen ferro non acuminatis. His non sunt absimilia Nobilium hastiludia, das Ringlerennen / & alia id genus certamina equestris & militaria, ad quæ Nobilibus tantum patet aditus. Hinc *Ericus Danorum*

Danorum Rex A.C. 1370. Enophthalmismum seu spectaculum, nec non torneamentum hic Rostochii (*Nicol. Mareschal. in Annal. Herulor. lib. 3. cap. 4.* addit: paucis post Majuma diebus) exhibuit, convocatis & coadunatis Regibus Sarmatarum, Wenden / Herulis, Marcomannis, Quadis, (illi sunt populi circa Halberstadium & Magdeburgum) Gotinis, die Brunswicker bey Göttingen / Osis, die Hessen / Tectolagibus, die Francken / Thuriis, Düringer / Sorabis, Weisner / Vindelicis, Hochschwaben / Noricis, Deyert / proximisq; Angrivariis, Engern / Chaucis, Usipetibus, Tenetheriis, Ekevische / Frisiis & Transalbinis omnibus, Holfteiner. Venit Rex cum splendore & comitatu admodum magnifico circa solstitium æstivum. Venerunt quoq; agminatim primæ Germaniarum classis principes & philotheori omnes. Sed neque illis à mari neque his à terra copia facta urbem ingredi, quod, nescio quid mali, vererentur cives. Rex igitur in vicino Rosarum horro haud gravate curiam instruit, cum, quod ipse urbem sibi subditam, tam magno principum conventu premere noller, tum, quod celebrare spectaculum in tentoriis, quàm in fumosis urbibus, magnificentius duceret. Ad sunt petauristæ, (Springers) jaculatores palæstricæ (Ringers /) thymelici (die da Daverecht machen) dromones (Weddeleusser Pferde) sine numero. Ad sunt tubicines, liticines, buccinatores, choraulæ, cytharædi, psaltriæ, præstigiatores & mimi sine fine (*Nic. Mareschal. d. l.* ita habet: Multi ibi Pentathli, quibus in quinquertio periculum. Litui, tympanotribæ, choraulæ, calastri, schænobata, blenni, mori, cofaces, lamyri, pantomimi, gelatopæi.) Censæ eo spectaculo in meditullio Athletarum, ut quidam scriptum literis reliquere, parium sexcenta ac quadraginta, ut sileam reliquam parasitantium turbam innumerabilem, & Principum ministros, numero innumeros, qui omnes epulo lautissimo mensam integram ibidem sunt excepti. *ut refert Petrus Lindebergius in Chron. Rostochiensis posthumo lib. 2. cap. 6. p. m. 48. 49. 50 ex Nic. Mareschallo Thurio in annalibus Herul. lib. 5. c. 4. A. C. 1501. hic editu.*

IX. Exercitia virtutis sequuntur ludi ingenii, qui à solo ingenio, non adjuvante fortunâ, dependent: inter quos principem facimus perverustum illum ingeniosum, ac quasi castrensem Scachorum, latrunculorum lusum à quodam viro sapiente *Palamede vel Xerxe*, circiter annum orbis conditi 3635. inventum, *teste Polyd. Virg. lib. 2. de invent. rer.*

B 3

6. 13. p. m.

c. 13. p. m. 124. adde Job. Ludov. Pöcken in Disputat. de aleator. quem nec Clericis interdictum arbitramur. Accurs. in auth. interdicimus in verb. ad tabulas. C. de Epif. & Cler. N. 124. Clar. lib. 5. sentent. §. ludus n. 2. 3. Chilianus Konig: in process. c. 57. n. 2.

X. Etsi vero hi lusus potissimum virtutis & gloriae causa suscipiuntur; tamen & in his pecuniâ positâ ludere & sponsonem facere licet, dummodo quolibet die, vel ad singulas commissiones, auff jeglichen Zusatz congressus, vel vices, pecunia ista solidum, i. e. aureum non excellerit; L. 1. & fin. C. de aleat: Præmia autem jam longè majora victori proponuntur, ut olim: aurei siquidem scyphi, annuli preciosi, aliquot mille Imperiales & alia κερμήλια cum in finem subministrantur.

XI. Datur quoque ex his ludis actio & petitio eorum, quæ ex hac causa debentur. L. 1. C. de aleat. & in Basil: lib. 60. tit. de aleat. Quinimo si quis in hujusmodi ludis collusorem, vel unum ex spectatoribus, non data opera, vel consulto, sed casu verberet, vulneret, vel planè interficiat, extra culpam & pœnam est, nec L. Cornelia de sicariis, cum dolus & occidendi animus abfuerit, nec L. Aquilia, nec ullâ aliâ lege tenetur, quoniam gloriae causa & virtutis, non injuriæ gratiâ & casu magis, quàm culpa damnata videatur datum. Jure Saxonico Wergeldo mulctari potest. Rauchbar p. 2. Quæst. Jur. Civ. & Saxon. q. 25. n. 10. & seqq. ubi & addit, quibus modis prædicti ludi illiciti fiant & inhonesti.

1. Si dolus, fraus, vel circumventio interveniat.
2. Si quæstus & lucri causa instituantur.
3. Si cum filiofam. servo, impubere vel minore, pecunia posita lusum fuerit.

4. Si lusus hi fuerint cruenti, perniciosi, noxii, aut injurii, ex quibus crimina, cædes & injuriæ oriuntur, quorum effectus injuria est. Vid. epist. 2. D. præfixa §. 9. & orat. Dn. Præsidi de Privileg. Stud. & pæn: Vag. Scholar. Gothofr. in L. 28. §. 3. D. de pæn. Job. Ram. in explicat. trium epist. D. præfixarum. ubi Justinianus juris auditoribus interdicat ludis quibusdam certis, quos exerceri mos erat in antecessores & discipulos, præsertim novicios: quibus non sunt absimiles ludi Studiosorum Philosophiæ Atheniensium, & quæ apud nos hodie usitatæ sunt Studiosorum, ad Academiâs venientium initiationes, quem actum Depositionis vulgò vocant. Cui ex post facto successerunt actus Diabolici & Schoristici, summâ Dei misericordiâ, & providâ Principum Imperii Romani curâ rursus explosi, nunquam revocandi; sed in res qua & solitudinem perpetuo amandandi.

Nee

Nec melioris farinae fuerunt monomachia seu duellum, ars sagittariorum, vel balistariorum, de qua *in c. un. & ab Hostien. Extra de sagittariis L. 8. §. 11. D. de pen.* ut & torneamenta illa, quae Pontifices sustulerunt, ubi scilicet in nundinis vel feriis milites ex conducto convenire solebant, & ad ostentationem virium suarum & audaciae temere congregari, unde mortes hominum & animarum pericula saepe proveniebant. *tit. extr. de torneam. vid. Lips. de Gladiatoribus & Lib. 1. Epist. quest. ep. 1. Harmenopulum lib. 6. t. 7.*

XII. Ludi fortunae sunt, qui toti ab ancipiti & incerto fortunae eventu dependent.

XIII. Misti, qui partim fortuna, partim ingenio, artificio & exercitatione constant, qualis est alea, quae omnes fortunae lusus, tam simplices, quam mistos complectitur, ut sunt tesserarum aut talorum, vel taxillorum, cuborum, scruporum, astragalorum, chartarum, vel foliorum, lutriculae, fritilli, equorum ligneorum, quae *ἔλινα ἰωπικῆ* appellantur. Est enim alea omnis ferme ludus, qui in varietate fortunae consistit, ut sunt tesserae cum primis & chartae lusoriae, cum quibus, qui se valde delectant, maximè omnium semper egerit. Et hi ludi omni jure sunt prohibiti, Divino, naturali, Civili, Canonico, *Rauchb. d. q. n. 24. & seqq.* propter effectus malos, quos *n. 32. & seqq.* recenset, adde Hostii: *in tit. de excess. Pralat. in verb. Clericis. Menochius allegat ex ludo tot crimina nasci, quot sunt in taxillis puncta. de arbit. Jud. quest. lib. 2. cent. 4. cas. 399 n. 1.*

XIV. Hinc omnes hi ludi omnino interdicti sunt tam Laicis, quam Ecclesiasticis personis. *N. 123. c. 10. auth. interdicimus. C. de Episc. & Cler.* similiter data super ludis cautio hoc jure irrita est, cessatque adversus eum, qui amisit, omnis actio. *L. 1. & fin. C. de aleat. L. 5. D. de natur. sen.* Id, quod ludo amissum est, tanquam indebitum usque ad 80 annos repeti & condici potest, vel à lusore, ejusve heredibus, vel à patre, aut domino, si filii aut servi luserint, vel iis cessantibus à Praefecto urbis in urbe, vel in mancipiis à defensore Civitatis, vel Praesidibus Provinciae in Provinciis, ut in opus publicum convertatur. *Vid. Rauchb. d. q. à n. 34. usque 47.* Imò clerici aleae dediti ad biennium ab officio suspenduntur, & in monasterium relegantur. *N. 123. c. 10. Nov. Leon. 87. de Ecclesiasticorum alea ludentium pena.* Receptatores aleatorum, welche Spielern / Doppelern und Spitzbuben unterschleiff geben. *Blou-*

βλοπδοχοι appellantur, quos Menochius non puniri posse statuit, nec ipsos luores ultra lucri restitutionem teneri arbitratur. Quomodo autem fortunæ lusus admittendi vide apud *Rauchb. n. 95.* Præterea potest debitor contra chirographum, vel mutui instrumentum à se recognitum & confessum simulationis exceptionem opponere, scilicet pecuniam in eo promissam non mutuo datam, sed lusu perditam; & ita instrumentum simulate conceptum esse. *Rauchb. d. 9. à n. 97. usq. ad n. fin. 107.*

XV. Causam efficientem hujus Legis unicæ laudamus Imperatores Arcadium & Honorium, legitimos Patris Theodosii Magni heredes & successores, qui mortuo patre, imperiū ita divisum acceperunt, ut Arcadius Orientem, & Honorius Occidentem obtinuerit. Anno circiter post natum C. 400, quo anno & legem hanc unicam de Majuma latam esse constat ex *Davide Chytrao, in Chronologia Jurisprudentiæ Rom. Orat. ejusdem addita.* Non autem omnes in hac annorum supputatione conveniunt Chronologi. Aliter enim sentit *Contius & Marianus Scotus,* qui hanc legem A. C. 396. constitutam esse computat. Aliter *Haloander,* qui A. C. 398. A. ab urbe condita 1149. indictione 9. hanc legem reductam esse autumat; 7. quidem Cal. April. (seu 26. Martii) ut annotavit *Wolfgang Freymonius in Symphoniâ Juris Chronologica p. m. 847. & idem in Indicibus tribus à se editis p. m. 630 dicit L. un. C. de Maj. lata est Anno Imperii primo, Arcadio IV. & Honorio III. Coss. A. A. 7. Cal. Maji. Cassiodorus* autem in *Chronico suo* docet nos, Imperatores prædictos subisse Romanum Imperium circa annum C. 395. Ubi *Cassianus, Paulus Diacon. in Eutrop Histor. Tripart. Marcelli. Nicephorus lib. 13. cap. 1. Hottomannus in particula Historiæ Jur. anno C. 383. Genebrard. in Chronologia lib. 3. seculo 4. juxta finem. Onuphr. in Chronico. Baron. tom. 5. anal. anno C. 395. ut citat Franciscus d' Amaya in observation: suis ad hanc legem p. m. 390.*

XVI. Lata est autem hæc lex Constantinopoli, amplissimâ tum temporis Imperatorum Rom. sede, sic dictâ ab Imperatore religioso Constantino M. qui ad æternam nominis sui memoriam, hanc Urbem, annum circiter, postquam devastata fuit à Severo, centesimū sextum restituit, vel, ut alii, ampliavit, & mirè exornavit, constitutâ ibidem Romani Imperii sede A. C. 330. Ab instauratione verò postannos circiter mille, centum & viginti unum, (A. C. 1453) expugnata primū & capta

& capta est à Mahomete 2. Amurathu filio, post obsidionem dierum 54. quarto Cal: Junii i. e. die Maji 29. Imperatore orientis Constantino Palæologo hujus Nominis ultimo. Accidit huic Urbi, quod Oraculi versu Macedonibus significatum fuit, ut Constantini nomen, urbi fatale, & Constantinus imperans ἀπαθὴν καὶ πῆμα esset. Ab eo tempore, deleris Ecclesiis, & studiis doctrinarum, sublatis ordinum gradibus, Senatu, & magistratibus extinctis, vel oppressis nobilibus familiis, arx est blasphemix Mahometicæ & stabulum Turcicorum latronum, qui doctrinas, honestam disciplinam, leges, castitatis decus furenter contemnunt, & nulla civilia ornamenta magnificiunt, ut testatur Chronicon Carionis lib. 5. in Constantino Palæologo p. m. 768, 769. 770. & 771.

XVII. Hinc progrediendum esset ad materiam Majumæ, verum, quia in ipso textus nostrilimite occurrit nobis, quod dilucidatione dignum, acquiescamus hic paululum, hanc instituendo quæstionem. Cur Imperatores nostri Arcadius & Honorius tribuant sibi & rescriptis suis præmittant excellentissimam omnium virtutum Clementiam? Respond. ex Jafone L. 1. in 2. lectur. in 3. Coll. vers. 2. pondera. C. d. summa Trin: Luc. 22. v. 25. Quod Clementia sit res peculiaris & propria Imperatorum & Principum, quodque, ut Cicero lib. 1. Offic. non in eleganter iradit, nihil sic laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate atque clementiâ. Gloriosissimo inde antiquitus recepto stylo in aulis hucusque reservatur, ut literis Principum hæc formula veniant præmittenda: Unsern gnädigen Gruss zuvor. seu publicis Decretis, h. m. Wir von Gottes Gnaden N. N. entbieten allen und jeden unsern gnädigen Gruss zuvor &c. Sub finem concluditur h. m. und Wir verbleiben Euch hiemit in Gnaden gewogen! Hanc scribendi formulam A. C. 1460. ab Henrico Duce Brunsvicensi usurpata fuisse refert, Joh. Jacob. Speid. in spec. suo var. Jurid. Polit. Histor. Observat. voce Titull p. m. 1247. Ex Joh. Lezner in der Dasselischen und Einbeckischen Chronick lib. 3. fol. m. 91. fac. 2. Cum autem quæritur causa, ob quam Imperatores ratione dignitatis vocentur Allergnädigste/ Electores & Archiduces Gnädigste/ & Principes cum Comitibus & Baronibus gnädige Herren? Respond. cum Dauth. quem refert Dominus Draco de orig. & Jure Patrie. lib. 3. n. 12. fol. 232 Darumb werden grosse Herren/ Eraven und Fürsten gnädig/ Churfürsten gnädigst/ und die Römische Käy-

Käyserl. Mayest. Allergnädigste Herren genandt/damit anzusetzen/je hō-
her einer geabelt/je gnädiger er sey. vid. J. Jacob. Speid. d. lib. 8. loco.

XVIII. Materiam Majumæ quod attinet consideratur illa
per analogiam à Subjecto inhætionis s. accidentium, & à Subjecto at-
tributionis. ab objecto circa quod. Subjectum inhætionis consti-
tuunt Provinciales, quibus hic ludus apertus & redditus est. Obje-
ctum vero circa quod dupliciter hic considerari potest, Primò enim
ante tempora Arcadii & Honorii versabatur Majuma, circa
obscœnissima quævis dicta & facta, ex turpissima Imperatorum licen-
tiâ & corruptis populi moribus introducta, & singulis annis sub matri-
monii simulati specie perpetrata, quod videre est *ex Chrysof. 2. tom. ho-
mi: 6. in Matth. quam antiochiæ habuit.* Deinde verò Christiana religi-
one invalescente, & Arcadio & Honorio Imp. piissimis; regnum
capessentibus, ac priores obscœnitates theatrales omnino prohibenti-
bus, circa pudicitiam postmodum & castitatem laudabilem versaba-
tur Majumæ spectaculum ita, ut celebrarentur quidem nuptiæ, sed
absque libidine.

XIX. Sequitur forma, quam *Franciscus d' Amaya lib. 3. c. 5. Obser-
vat.* Juris in hoc maxime consistere autumat: Mense mayo præsentaba-
tur solemnitas, & inter mimos & meretrices contrahebantur matrimo-
nia in theatris per luxum, quæ ad vivum repræsentabantur, ita, ut lectus
in orchestra (i. e. loco illo, ubi saltator agere posset, aut duo inter se di-
sputare, ut *ex Divo Isidoro docet Demster. ad Rosin. lib. 5. c. 10.*) appo-
neretur, quo consummabatur adulterium. Quod ipsum confirmare
videtur *D. Cyprianus lib. 2. Epist. 2. ad Donat.* Ubi numerans spectacu-
lorum abominaciones, adulteria ad vivum repræsentata demonstrat his-
ce verbis. In theatris quoque conspicias, quid tibi & dolori sit & pudori
de incestis horror antiquis expressa ad imaginem veritatis actione.
Adulterium discitur, dum videtur, lenocinante ad vitia publica auctorita-
ris malo &c. Clarius autem *D. Chrysostomus id expressit tom. 1. homil. de
Davide & Saul* §. cui titulus *periculosum esse adire spectacula*: Ubi solum
contra uxoratos loquitur, dum ait, Non metuis, non expavescis, dum
oculis quibus illic lectum, qui est in orchestra, spectas, ubi detestandi
adulterii fabulæ peraguntur, iisdem hanc sacram mensam intueris? Dum
iisdem auribus audis & scortum obscœnè loquens, & Prophetam? An
non

non sunt hæc vitæ subversio & conjugiorum corruptelæ? Cùm enim spectaculis illis dissolutior ac mollior, lasciviorque omnis pudicitia hostis factus domum redieris, uxoris aspectus minus erit jucundus qualiscunque illa fuerit, siquidem inflammatus illa concupiscentia, quam in spectaculis hausisti, & ab illa spectatione, quæ te dementavit captus, sobriam & modestam uxorem despicias &c. De hisce obscœnitatibus theatralibus, populo ipsi exhibitis, locus est luculentissimus *Tertul. de spectaculo cap. 17.* Ipsa etiam prostibula, publicæ libidinis hostiæ in scena proferuntur, plus miseræ tamen præsentia scœminarum, quibus solis latebant, per quæ omnis ætatis, omnis dignitatis ora transducuntur. Locus, stipes, elogium etiam, quibus opus non est, prædicatur. Tacco de reliquis ea, quæ in tenebris delitescere decebat, ne diem contaminarent. Erubescat senatus, erubescant ordines omnes, illæ pudoris sui interemptrices, de gestibus suis ad lucem & populum expavescentes.

XX. Non minus hæc *d' Amaya* conjectura disertè adstruitur ex eodem *Chrysofomo 2. tom. homil. 6. in in Marth. in fine, quam Antiochie habuit, ut fœdum hoc vigeat spectaculum satis constat ex homilia sequenti, ubi eodem argumento utitur contra uxoratos. Non est nostrum assidue ridere; sed eorum potius & earum, quæ spectantur in theatris. Quibus jam igitur oculis cernis domi conjugem, quam ibi in persona alterius tantæ videtur injuriæ subiacere? Quomodo autem non rubore suffunderis, quoties, uxoris recordaris, quando eundem sexum tam fœdè ibi videris publicatum? Neque verò opponas mihi, quod jam quicquid ibi fit, imitatio sit jocorum, non etiam veritas rerum, etenim simulatio ista multos adulteros fecit. Non enim istud accipias, quia meretrix nuda est sed quia naturâ ipsâ idem est corpus conjugis & meretricis. Quonam igitur te pacto deinceps aspiciet uxor à tali fornicatione redeuntem? Quemadmodum suscipiet & alloquetur, atque à tali spectaculo captivum servumque redeuntem mulieris fornicantis. Ex quibus constat, adulteria in priori *Majumæ* spectaculo perpetrata esse sub matrimonii simulati specie. Origo fœdi hujus spectaculi, addit *Franciscus d' Amaya d. 1. &* dicit, cùm antiqui *Ethnici* nuptias mensis *Majo* celebrari prohiberent, (ut docet *Ovid. lib. 5. Fastor.**

Mense *Majo*, malas nubere vulgus ait.

& latè *Tiraquellus in l. 5. connub. num. 14.*) introducta est, ut nuptiarum repræsentaretur solennitas inter mimos & meretrices. Fœdo au-

tem & obsceno spectaculo Christian : Principum legibus interdicto,
meliozem ac honestiozem præ se tulit speciem, ut ex l. ult. de Majuma
in Cod. Theodos. apparet, quâ Formam novam hic ludus sortitusest.

XXI. Priori sædo Majumæ spectaculo haud absimiles videntur
ludi luperciales, qui tempore Augusti, ut testatur Suetonius c. 13. celebrati
sunt. Fuerunt autem ludi, Pani Deo sacri, ab Evandro instituti, ut docet
Dionys. Halic. lib. 1. quibus adolescentes nudi incincti pellibus per lu-
xum & lasciviam urbem cum multa obscenitate circum agebant men-
se Februarii, qualiter demonstrat Prudentius in Romano Martyre:

Quid illa turpis pompa? nempe ignobiles
Vos esse monstrat, cum Luperci curritis,
Quam servulorum non rear vilissimum,
Nudus plateas si per omnes cursitans,
Pulset puellas verberare ictus ludicro.

Videndi de his ludis Servius & alii interpretes Virgilii ad illud 8. Aeneid.

Hinc exultantes Salios, nudosque Lupercos.

Hos Luperciales Augustus Imp. Rom. dum pudori consultum voluit,
celebrari prohibuit, ut refert Francis. d' Amaya d. l. c. 5. ex Suetonio in Au-
gusto c. 31. Ejusmodi fere ludi genus describit Lactantius Firmianus lib.
1. cap. 20. de falsa relig. dum inquit: Celebrabantur Floralia cum omni la-
scivia verbis & moribus pudendis ad placandam Deam, quæ floribus
& fructibus præerat. Nam per tubam convocabantur omnis generis
meretrices. Unde Juvenalis

--- dignissima præfusa.

Florali matrona tuba.

Ex in theatro denudatæ, coram omni multitudine utriusque sexûs
omnisque ætatis & ordinis, hominibus pudendis solum rectis & inve-
latis, per summam lasciviam atque luxum currere, & impudicos agere
jocos solebant: adeoque, ut inquit Lactantius, meretrices, flagitante po-
pulo, nudatis corporibus, in tali scena mimorum fungebantur officio:
vid. Rudolph. Hospinian. in tractatu de Fests. Christ. p. m. 88. 89. 90. Quo
etiam respexit Martialis lib. 1. Epig. 36.

Quis Floralia vestit & stolatum.

Permittit meretricibus pudorem?

XXII. Ad hos ludos sædissimos referri possunt omnes recreati-
ones, cum honestate ac verecundia pugnantes, quæ non minus humanis,
quàm

quam Divinis legibus prohibita sunt. Quales dici possunt die Balle-
ten / die Wirtschaffren / und verkleidungen / da Männer Weibes und
Weiber Männer Kleider anlegen / praelentirung der frembden Kleidung
durch Auffüge / item, ipso quandoq; Bacchanaliorū tempore, die Maß-
queraden und Nummerreyn, quibus infando modo nonnunquam se-
xus in sexum, uterq; vero in Dæmonē mutatur, unde plerumq; vel homi-
cidia vel adulteria, aliivē funesti exitus ebulliunt, quod horrendis verē
restatur exemplis Sündenspur. in *Commentar. über die Lands Ordn. ex
Adversarius Du. D. Besold. f. 419. &c.* Quare optimo consilio D. Brunne-
mannus in *C. tit. de Maju.* ita scribit: Tollantur ē Republ. omnes ludi,
luxuriam olentes, & inverecundiam, quo promiscuas utriusque sexūs
saltationes lascivas, veneris præambula, refero cum venerando Patrum
choro. Aboleantur prorsus, & ex benē constituta Republ. extermin-
entur præstigia diabolica & fascinationes, quas spectatoribus fucum
faciendi gratiā exercent funambuli, circulares circumforanei, & ex
corruptis regnis adventantes neurobata & impostores. die Gaukler /
Seildänner / Taschenspieler. Hæc inutilia terræ pondera Antonius Peretz
in *C. ad hanc nostram legem. n. 5. 6.* nequaquam probat, ut Respubl. ad-
mittat, admissa tamen, si obscæna egerint, coercet, aut expellat, nec
quicquam ab iis accipiat, ne connivere videatur, & ex turpi lucrum
querere. Antiqua potius spectacula & exercitia civiū in usum ut revo-
centur haud improbat, quæ videl. ad virtutē excitent, & honestē omnes
recreent. Hinc prudenter Belgarum Principes collegia declamatorum
& jaculatorum, per diurni belli turbas intermorta, restituere, Zypæus
de *judic. lib. 3. c. 4. n. 7.* In Wallonia, Noribergæ in Germania arcuum
exercitia, das Armbrustschießen / obtinent. Hamburgi singulis heb-
domadibus, die solis post finita sacra, jaculatoria celebrantur auff den
Schüttenwall / ut cives, usu exigente, ritē bombardis & sclopis majo-
ribus & minoribus uri noverint.

XXIII. In aliis quoq; regnis & provinciis restituta quoq; sunt
publicæ lætitiæ festivitates, ludi, joci, exhiberi soliti sub initium Maji, ac
per totam ætatem in civitatibus & ruri, propter spem futuræ messis,
quam iste mensis proximam hominibus ostendit. Hinc crebras videre
licet apud Catholicos Romanos in hoc mense *θεοφορίας*, German.
Gottesbrachten, ubi circa sanctorum gestationem, eorumq; ad templa
depositionem plaudent, jubilant, & saltant, ut Colonia Agrippinæ,

Antwerpiis & alibi consuetudine receptum esse, accepimus. In Hispania totâ præter publicas festivitates, raurorum agitationes, equorum cursus, hastatorum ludos, in majoribus civitatibus sumptu publico privatove exhiberi solitos, Majumæ quoque simulacrum Kalend. Maij, ac aliis deinceps ejusdem mensis festis diebus honestè repræsentantur per puellas, splendide ornatas, quas vulgo Majas, German. *Meystången* vocant, præ foribus loco elatiori sedentes, aliis adstantibus, tympana cytharasque pulsantibus. Item aliis in locis Hispania, una ex pluribus puellis formâ elegantiori, veste preciosâ, gemmisq; ornata præcedit, comitantur illam aliæ, quæ à transeuntibus dona, pro sua Maja poscunt. (Fere similitudinem habet cum nostris puellulis, *wann die Kinder ins grüne gehen*, ubi una illarum fertis est ornata præ reliquis chorum ducit & præcedit. In terra Megapolitana circa hoc tempus Maij ludus à pueris exercetur, qui dicitur German. *Meysengråden*.) Quam castæ Majumæ festivitatem ad hodiernum usque diem celebrari per puellas, quæ ex infantia exceßerunt, referunt *Benedict. Ægid. Lusitan. in tractatu de honestate. art. 1. & Garcia Toletanus in rubricam lucerna ad h. t. n. 3. Dondelas muchachas &c.* Grandiores aut puberes non se præbent conspicendas, ne aspectu transeuntium hominum, honestas & pudicitiam violeatur, quam publicæ lætitiæ præferri vult dispositio legis nostræ, de qua eleganter scripsit *Franc. d' Amaya. lib. 3. Observ. Jur. c. 5. Præter. Luc. d' Penna & Joban d' Platea* aliquid etiam attigit *Galganettus d' jure publ. lib. 4. t. 44. n. 12.* alium lusum referens Romæ excitari solitum à juvenibus, primo die Maij, & altissimam quercum erigi, variis voluptatibus & esculentis onustam, quam non sine certamine juvenes, & discrimine conscendere, appentaq; volatilia auferre conantur. Observo quoq; primum mensis Martii diem religiosè Romæ celebratum fuisse ab amantibus & maritis, illi, ut à puellis, hi, ut ab uxoribus gratiam inirent, missa quoque dona & unguenta & cibaria eo die, videatur *Gralterius, Horatii interpret. ad od. 3. cui initium est: Martius celebs quid agam Kalendis. lib. 3. Carm.*

XXIV. Non absone hîc adjici possunt Festivitates solennes, quas narrat *Joh. Jacob. Speid. in spec. suo var. Jur. Polit. Histor. Obser. Francorum*, inquit, Regibus motis erat Kalend. Maij præsidere coram rota gente & salutare & salutari, obsequia & dona accipere, ut ex *Sigeberto in Chron. Ann. 662. testatur Francis. Hotoman. in Franco-Gallia cap. 10. Quæ*

Quæ Cal. Maij conventus habendi consuetudo permanfit apud Svi-
tenses, in hodiernum diem. Nam singulis annis, primo Maij omnes
totius pagi Schwik incolæ in pulcherrimo prato conventum agunt, in
quibus finguli Officiales ab univerfo populo, erectis in vora digitis, ma-
nibusq; sublatis, publicè ac promitcùe eliguntur, teste Dn. Magero in tra-
ctatu de Advocacia armata c. 3. n. 277. Sic etiam in Document: Rediviv. Mo-
naster. in Wirtemberg. fol. 343. legitur, quod Mayending / Hornung-
ding / sint judicia, illo tempore celebrari solita. Hæc prædictus Speidelius
in voce Mayengericht / Mayenversammlung &c. p. m. 827. & 828. Idem
d. l. subjicit hanc questionem: Unde originem trahat observantia illa,
quam quibusdam in locis, maximè autem in villis apud rusticos vide-
mus, daß man im ersten Mayentag pflegt vor die Häuser Mayen zuste-
cken? Hæc quæstio quæstionibus diversis & Respons. ad eas Gallicè con-
scriptis, fol. m. 9. ita resolvitur: la raison pourquoy les Amans ont ac-
coustumè ornes des fleurs & Mays le devant du logis, de leurs Dames, est
pour les honorer comme leurs Dieux en terre, & demonstrer que les bou-
quers & Mays, servent de despoüilles & de Trophees à leurs Dames: &
pour urais signals de servitude & devotion de leurs amans serviteurs, &c.
Plura, quæ aliàs ex antiquitatibus deduci possent ludorum genera studio
silentio involvimus, cum obiter saltem, quæcunq; ad legem nostram aptè
applicari potuerunt, attingere constituerimus.

XXV. Pergimus itaque ad causam finalem, quæ ex supra dictis
D. Cypriani, Tertulliani, & Chrysostomi locis ex his constitit, ut adulteria
perpetrarentur sub matrimonii simulati specie. Postquam autem se-
rius D. Ecclesiastæ Chrysostomi Episc. Constantinopolitani admonitionibus
Imp. Arcadius & Honorius moti hanc legem quadriennio post, quàm da-
ta, abrogarunt, omnibus hujus ludi obscænitatibus, ac turpitudinibus
amputatis, hunc finem prævaluisse voluerunt, ut servaretur honestas, &
verecundia castis moribus perseveraret, quod ipsum testatur Impera-
torium illud rescriptum ad Aurelianum Præfectum Prætorio, quod ex-
stat C. Theodos. lib. 15. tit. 6. in hæc verba: Ludicras artes concedimus
agitari, ne ex nimia harum restrictione tristitia generetur.
Illud verò quod sibi nomen procax licentia vindicabit, Ma-
jumam, foedum atq; indecorum spectaculum, denegamus.
Eum igitur in finem reddita cum primis est Majumæ lætitia, ut optimæ
ac splendidissimæ virtutes Honestas & Verecundia, postliminio quasi re-

vocatæ majoris æstimarentur, & in animis Provincialium recolerentur. Hisce enim si corpus simul, & animus usquequaq; est imbutus & exornatus, ornamentum nec majus, nec melius dari nobis & attribui potest. Quam ob causam seriâ quidem, & iusta filium suum prosequitur exhortatione *Basilus*, eleganter inquit: Omni labe impudiciæ purum conserva non solum corpus, sed etiam animum tuum. Quemadmodum enim impudica vita à DEO nos separat: ita in castitate transacta nos ei conciliat. Huic adstipulatur *Poeta Phocylides in Divino suo poemate admonitorio*, v. 215. & seqq. p. m. 725. dum canit:

Ἀγνεία: ψυχῆς σου σώματος εἰς καθαρῶς

Ταῦτα δικαιοσύνης μυστήρια οἷα βιούντες

Ζῶν ἐπτελείοιτ' ἀγαθὴν μέγχε γέρας οὐδ᾽,

i. e.

Castitas animæ corporis est purgatio;

Hæc justitiæ arcana. Secundum quæ viventes

Bonam vitam usq; ad senectutis limen transegeritis.

XXVI. Ludi itaque & delectationes in Republ: permitti possunt, si modo fines honestatis ac verecundiæ non transiliantur. Et licitæ ac honestæ recreationes in Republ: habentur necessariæ, quia sunt tanquam antidotum, & medicina contra hujus vitæ mala & miserias, ut testatur *Francisc. d' Amay. d. l. p. m. 406*. Nam homines, quamvis in rebus turbidis sint; tamen si modo homines sunt, interdum animis relaxantur, ne ex nimia restrictione tristitia generetur. *Cic. 2. Philip. p. m. 1047*. Quemadmodum corpus indiget quiete: ita animus honestâ delectatione juvatur. Cessatio igitur & quies à laboribus cum corporis & animæ recreatione exemplo Christi licita est. *Ephes. 3. 4. Jerem. 31. 4. Ps. 30. 12*. Hanc quietem etiam *Scitus Alfennus in l. proponebatur. 76. D. de judic.* hisce rationibus descripsit: quum omnia mortalia perpetuis decrementis intercidant, perpetuis quoq; incrementis, ut subsistant, & renoventur, egent: siquidem secundum *Poeram*:

Quod caret alternâ requie, durable non est.

Ludo & joco quidem uti licet, ut somno, & cæteris quietibus, ita, si gravibus cæterisq; rebus satisfecerimus. *Cic. lib. 1. Offic.* Etenim convenientem satis ac rotundam *D. Waltherus in Postil: sua Theologo-Juridica p. m. 362*, tradit similitudinem, inquit: Ut *lyram & arcum remittimus,*

quo

quo melius possint tendi, ita recreandus otio animus, ut ad labores red-
datur vegetior. Sic multi prudentissimi severiq; viri postdefatigatum la-
bore corpus, vel studiis, aut aliis occupationibus animum, solebant ho-
nestis ludis, & delectationibus operâ dare, ut de Augusto narrat *Francise.*
d' Amaya ex Sveronio in Augusto cap. 71. & 80. Ut de Mutio Scævola egre-
gio JCro narrant autores pilæ ludo se exercuisse. De Mecænate *Hora-*
tius. De se *Plinius junior in Epist. præcipue lib. 5. Epist. 3. & lib. 8. Epist. 21.*
Quo respexit prudentissimus Romanorum *Seneca de tranquillitate cap.*
3. & cap. 15. Cui calculum præbet *Medina in C. de restit. quest. 21. Ema-*
nuel Rodrig. in sum. verbo communion: cap. 105. conclus. 14. & Mariana de
spectac. c. 14. & Augustus Robert. lib. 4. rev. judic. cap. 15.

XXVII. Cæterum non ineptè hic queritur, An histriones &
repræsentationes Comicæ, & Tragicæ in Republ. admittæ, probandæ
sint, an improbandæ? Respondemus cum *Mendoza* probandas utiq;
esse, & admittendas, si pudicè, & prout honestatem, & castos mores de-
cer, gerantur, non cum lascivis gestibus atq; moribus, nec cum saltatio-
nibus, in libidinem excitantibus, sed ita, ut servetur honestas, & verecun-
dia castis moribus perseveret, itè si argumenta Comædiarum conveni-
ant decori, & Christianæ circumspeditioni, si sint procul à turpitudine,
si excitent audientium animos in pietatem, doceant, quomodo calamita-
tates, pericula, adversitates æquo animo ferendæ, & fraudes evitandæ:
Vanitatem si detegant, neq; mulieres, habitu virili indutas, introducant,
laudandas omnino & admittendas esse, putamus verè cum Theologis &
JCris. *Melancht. in præfat. ad Terent. Gerhard. Dec. 8. qq. Polit. 5. Meisnerus*
part. 1. Phil. Sobr. scil. 2. q. 1. c. 4. Job. Avenar. illust. qq. Nomico. Polit. 141.
Berneggerus qq. in Tacit: q. 42. quos citat D. Waltherus d. l. p. m. 262. Ad-
de D. 37. c. 15.

XXVIII. Maximè verò laude dignos censemus actus Academi-
cos, & Gymnasticos, non scurriles illos levissimorum novitiorum, in
nostris Academiis olim usitatos, sed actus scenicos laudabiles, pios ac
utiles, quales rarius in Lutherandorum Scholis, sæpius autem in Catholi-
corum classibus exercentur, non quæstus & lucri, sed animi & virtutis
causâ. Horum enim finis primarius est, ut adferant scenicis personis
usum in conversatione maximum, pariant affabilitatem & comitatem,
reddant promptissimam dicendi facultatem, & stimulum addant non
exiguam ad artes liberales, & studia quæcunq; humaniora. Tales olim
D
apud

apud Rom. fuisse ludos quinquennales, qui singulis quinquenniis celebrabantur, testatur *Hospinianus de origine Festorum p. m. 152.*

XXIX. Comædiarum & Tragædiarum actiones improbamus cum *Lactant. in Epitome Inst. Div. c. 6. cum Danao lib. 2. Ethic. Christian. c. 14. & in Republ. omnino prohibendas existimamus, quæ cum lascivia, morum, gestuumq; depravatione sunt conjunctæ, ac magno juventutis offendiculo turpiter peraguntur. A quo non multum abludit *Justinianus in Nov. 123. c. 10. Ubi spectare otiosè res inanes & veritas peccatum est. l. 34. §. 1. C. de Episc. audient. Quàm acriter autem & acerbè Scenica spectacula facta, ut irritamenta vitiorum, & ad corrumpendos animos potentissimè valentia, insectantur Div. legis interpretes, videre est ex *Tertulliano cap. 38. Ex Cypriano Epist. 2. lib. 2. Ex Arnobio lib. 4. adversus gentes. Ex Augustin: lib. 2. de Symbolo. cap. 2. Ex Chrysostomo, cui vix ulla homilia hujusmodi spectaculorum reprehensione vacat. Nam homil: 29. in cap. 6. Matthæi Scenicis ludos civitatis pestem vocat & homil: 69. in cap. 21. ejusdem Matthæi, Theatralem chorum malorum omnium fontem, scaturiginem ac fomitem, & paulò post: Theatra, pestilentia cathedram, incontinentia gymnasium, luxuria officinam, impudicia orchestram, Babylonicam fornacem vocat.***

XXX. Nec verò Christianorum duntaxat ista fuit de spectaculorum corruptelâ opinio. Prisci namq; Massilienses, ut testis est *Brissinius de spectaculo p. m. 216.* antequam fando ad aures eorum nomen Christi pervenisset, Mimis, quorum argumenta majori ex parte stuprorum continebant actus, nullum in scenam aditum dabant, ne, quemadmodum eleganter *Valer. Max. lib. 2. cap. 1. scribit talia spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam sumeret. Vitiis enim nostris, ut præclare *Quintilianus declamat: 1. ait, in animum per oculos via est. Et *Salvianus lib. 3. de G. D. p. 87. Scies fenestras quodammodo esse nostrarum mentium, lumen oculorum, & omnes improbas cupiditates in cor per oculos, quasi per naturales cuniculos introire. Promptissimè ergo celerrimeq; animos irritant & accendunt, quæ oculis obijciuntur. Ac vel solo tabularum pictarum aspectu ad talia admittenda perpetrandaq; hominum mentes inflammarum certum est, qualia sunt ipsa, quæ spectantur obscæna. Hinc enim se libidine incensum, audacioremq; ad eam explendam factum *Cherea ipse apud Terentium in Eunuchis narrat, cum Jovis & Danaes concubitum in tabula depictum viderit.****

XXXI. Non

XXXI. Non autem picturis tantum, & representationibus obscenis moventur affectus, & ad morum pravitatem invitantur; verum etiam turpi colloquio, & intempestiva, lectione Poetarum, & aliorum, qui lascivis argumentis, sententiis amatorisque, turpibus historiis, aut verbis petulantioribus utuntur, quique magis libidini, quam pudori indulgent, cujusmodi sunt, ut recitantur à Francisco d' Amaya d. l. p. m. 403. spurcissimum Petronii Arbitri satyricon, multaque Juvenalis & Horatii loca, complura Ovidii & Martialis, multorumque etiam, nostra tempestate erumpentium, quæ à juventute, à Republ. funditus exterminanda sunt, quemadmodum fecere viri docti atque pii. Sic nonnulli autores libros amorum, à se compositos, exusserunt, ut fecit Picus Mirandula, Franciscus Petrarcha, Tassus, Ronsardus. Ut enim, P. Cornelius Scipio Icora omnia, quæ castra sequebantur, militesque examinabant, apud animosam illam Numantiam abstulit, teste Valer. Max. lib. 2. cap. 7. Ita his voluptuosæ, obscenæque dicacitatis locis summois scholarum castra, permanebunt. Recte enim admonemur, piis verè & Christianis hisce verbis. A turpiloquio & nos omnino abstinere oportet, & eis, qui illo utuntur, os obstruere, & aspectu severiore, ut vultus aversione, & eâ, quæ vocatur subsannatione, & sæpe etiam alperiori oratione. Quæ enim ex ore exeunt, coinquinant hominem. Clem. Alexandrin. lib: 2. pedagog. cap. 6. & in fine cap. ait; ἀσχετολογία ἢ πᾶσι τῶν ἡμῶν κακία ἐργῶν ἀνομιῶν, turpiloquium vocatur, quæ de viciosis factis habetur oratio. Vide eundem V. Strom. p. 402. B. Col. 4. v. 6. Ephes. 4. v. 29. & c. 5. v. 3. Curet igitur Magistratus, ut spectacula, quæ bonis & pudicis moribus obsunt, omnino e Republ. tollantur, amatoria, & turpia ne canantur, aut choreæ obscenis corporum moribus ducantur, turpiloquium, & libidinosi gestus, illecebræ sunt voluptatum, & jacula cordi infigunt, nunquam non cruenta. Anton. Perez in L. univ. C. h. t. n. 5. & 6.

XXXII. Quemadmodum autem hæc obscena dicta & facta mentem corrumpunt, & turpium voluptatum incendia movent: Ita & extrema corporum pericula, & cruentam sæpius mortem cum exitiali animorum pernicie afferunt publica illa spectacula, in quibus quamplurimi, ad ostentationem virium suarum & audaciæ, cum tauris, & aliis feris bestiis congregari non cessant, ut luculenter videre est ex 7. Decret. tit. 18. c. 1. Ubi valde improbantur ejusmodi cruenta spectacula, & in provincijs, civitatibus, terris, oppidis & locis fieri non permittunt, ne hominum

minum mortes, membrorum mutilationes, animarumq; pericula ex
inde oriuntur. Hinc *Francisc. d' Amaya d. l. p. m. 408.* hanc movet que-
stionem: An licita sit, recteq; & sine peccato celebretur taurorum agi-
tatio? Cujus questionis negativam defendit idem ille ex *D. Chryso-
stomil: in 15. Genes. ex Trebellio Pollione in Gallienis. ex Prudent. lib. 2. con-
tra Symmachum*, dum Honorium, Theodosii M. filium alloquitur:

Accipe delatam tua dux in tempora famam,
Quodq; patri superest, laudis successor habeto:
Ille Urbem veruit taurorum sanguine tingi.

Potest ulterius negativa rationibus æque firmissimis probari ex sanctissi-
mo *Thoma de Villanova. conc. 2. de S. Joan. Baptista circa fin. ex Casiodoro
lib. 5. Epist. 42. ex religioso Pii Quinti Pontificis Rom. edito, A.C. 1567.*
promulgato, ubi hoc immane spectaculum gravissimis pœnis coercuit,
licet postea ad petitionem *Philippi II. Regis Hispaniæ à Gregorio 13. A.C.
1573. revocatum fuerit. Quod deplorant Gregor. Lopez in l. 57. tit. 5.
part. 1. Marian. de spectac. Navarra de restit. lib. 2. cap. 3. n. 300.*

XXXIII. Conerariam verò sententiam defendunt *Medina in C.
de rest. quest. 21. Spino de testam. Glos. 2. n. 27. Joan. de Roa in apolog. quest.
5. Amescua de potest. in se ipsum, lib. 2. c. 11. & alii relati à Gutierrez lib. 1.
canon. cap. 7. qui multis & non inefficacibus muniti fundamentis, pro
negativa defendenda fortiter militant, & contrariis satisfaciunt.*

Taurum de Majuma, & de ludis veterum,
pro ratione instituti, dictum sufficiat. Pedem er-
go hic figimus, & hunc nostrum qualemcunq; la-
borem omnium doctorum, denobis rectè
sentientium, & famæ nostræ meliùs cupientium,
censuræ, ac judicio modestè subjicimus, nulli du-
bitantes, quin ab acerbis eadem calumniato-
rum jaculis, & inanibus Momi reprehen-
sionibus facilè nos vindicatura
fit.

Post-

Positiones Juridicae.

1. Differentia est inter Institutiones & Instituta.
2. Divini Numinis invocatio de substantia instrumenti non est.
3. In Studio Juris quinquennium Justinianicum non adeò rigorosè attendendum, ut ante prædictum tempus non possit quis creari Doctor Juris: nec etiam frivole præter rationem remittendum.
4. Justitia rectè definitur constans & perpetua voluntas.
5. Justitia hic intelligitur humana, non divina, eaque particularis, non universalis.
6. Tria juris præcepta, quæ vocantur orationes infinitæ, inter se differunt.
7. Jus naturale homini cum bestiis commune est.
8. Lex Regia sub Augusto lata est.
9. Scriptura de substantia Legis non est.
10. Servitus Juri naturali contraria.
11. In servorum conditione nulla est differentia.
12. Matrimonium continet individuum vitæ consuetudinem.
13. Matrimonium cæci amoris vehementiâ promissum, invalidum est: ut & ab ebrio contractum.
14. Qui compressam ab alio ducit, retinere eam non cogitur.
15. Inter comprivignos licitum est matrimonium, non autem inter privignos.

D 3

16. Pa-

16. Parentum consensus in liberorum nuptiis de jure Div: Nat: Civ. & Can. necessarius est.
17. Patria potestas est Juris Civilis.
18. Matrimonium patriam potestatem non solvit.
19. Dignitas Doctoralis, & militia armata filiumfam: à patriâ potestate liberant.
10. Definitio Tutelæ est causalis, & una ex optimis, in jure extantibus definitionibus.
21. Verba: *In capite libero*, in definitione tutelæ posita intelliguntur de tutore, & non de pupillo.
22. Filiorum appellatione non continentur nepotes.
23. Venatio subditis jure adempta est.
24. Tabula picturæ cedit.
25. Thesaurus, in loco religioso inventus, in totum inventori adquiretur.
26. Maritus dotis dominus est.
27. Testamenti factio Juris Civilis est.
28. Septem testium numerum, in testamentis requiri solitum, hodiè etiam Notarius ingreditur.
29. Obligationes ad res sunt referendæ.
30. Res immobilis deponi potest.
31. Emptio venditio est contractus juris Gentium.
32. In contractu locationis conductionis culpa levis, non levissima præstanda est.
33. Conductor domûs de incendio non tenetur, nisi culpâ ejus ortû esse incendiû, à locatore probetur.
34. Furtum lege naturali prohibitum est.

35. Fur

35. Furno ſturnus & diurnus quandoq; impunè occi-
di poteſt.
36. Retorſio de Jure Civili licita eſſe cenſetur.
37. Filiusfamil. SC. Macedoniano renunciare non
poteſt.
38. Crimen læſæ Majeſtatis adverſus Conſiliarios Prin-
cipis etiam committi poteſt.
39. Homicidium ab ebrio commiſſum ordinariâ quo-
que L. Corneliæ pænâ puniri debet.


Positiones Politica.


1. Disciplinis Practicis non alius ordo, quàm analyti-
cus competit.
2. Politica futuro Jcto maximè neceſſaria eſt.
3. Omnium ſocietatum princeps cauſa natura eſt.
4. Homo natura eſt animal ſociabile.
5. Conjugium dignius eſt cælibatu.
6. Sacerdotes non debent neceſſariò vivere in cæli-
batu, nec neceſſariò in conjugio.
7. Servitus quædam eſt à natura.
8. Jus vitæ & necis nequaquam Patrifamil. in ſervos
concedendum.
9. Nemo duarum Civitatum civis eſſe poteſt.
10. Monarchia præſtat cæteris Rerumpubl. formis.
11. Hereditaria ſucceſſio electioni præferenda.
12. Gynæcocratia non eſt admittenda.
13. Magiſtratu, iniqua præcipienti, non eſt obediendū.
14. Judæi in Civitate tolerari poſſunt.


15. Ille.


15. Illegitimi ad Imperii fastigium non sunt evehendi.
16. Princeps in suo territorio tantum potest, quantum Imperator in Imperio.
17. Divitiæ non nobilitant.
18. Quilibet Magistratus consiliariis debet esse stipatus.
19. Doctor nobili genere est præferendus.
20. Juvenes in consiliarios Principis non sunt cooprandi.
21. Munera judici non licet accipere.
22. Duella non sunt concedenda.
23. Imperium nostrum Germanicum adhuc rectè dicitur Romanum.
24. Quæ sunt Imperii, non possunt ab Imperatore alienari.
25. Donatio Constantini, de qua Papicolæ gloriantur, nullo modo facta est.
26. Hodiernus S. Rom: Imperii status rectè dicitur Monarchicus.
27. Lutherani etiam ad dignitatem Imperialem aspirare possunt.
28. Domus Austriaca electionis libertati præjudicare non potest.
29. Electores sibi in vicem juramentum, quo Rom: Imperio se obstrinxerunt, remittere non possunt.











burgensi Land-Recht lib. 2. art. 60. Jur. Lub. l. 2. traditur, si commodatarius rem sibi traditam alienet, Dominum Commodantem nullam actionem, cui alienatio facta est sed oportere eum commodatarium, da jemand seinen Glauben gelassen suchen / & ut in Jure Lubecensi dicitur Hand in Lib. 3. art. 2. 1. 2. ibique Mey. ubi ratio statuitur.


III. Jure Civili cuivis majorenni sanæ mentis rerum administratio & alienatio permittitur l. 1. sicut C. de Obl. & Act. l. in re mandata C. man. sua non abutatur §. sed & major Inst. de his qui in Saxonia illa potestas est restricta, quia bonorum quæ sita Stammgüter dicta, nemo sine consensu heredum alienare potest Land-Recht lib. 1. art. 1.

IV. Jure Civili maritus à cura uxoris sua dare tutori §. pen. Inst. de excus. tut. Ratio ab ipso gestum, propter affectionem remittat, & talibus periclitetur uxor l. maritus. C. qui da Saxon. Land-Recht lib. 1. art. 31. & lib. 3. art. 1. maritus sit legitimus uxoris suæ tutor Ehevogt lebratis nuptiis uxor in potestatem & tutelam mariti.

V. Majorennis quis de Jure Civili fit, si ætatis compleverit t. r. ff. de minor. vel veniam l. 2. C. de his qui ven. et. Jure autem Saxonico tur Anno æt. 21. Land-Recht lib. 1. art. 42. & hinc eodem jure terminus restitutionis brevior Civili.

VI. Jure Civili licet Debitor ob æris maris do non sit, tamen ideo à Creditoribus suis in detineri, & ad operas jure servitutis præstandas. as. juncta Auth. seq. C. de Oblig. & Act. & ibi de Jure Saxon. veteri Land-Recht lib. 3. art. 3. Lubec. Lib. 1. r. 3. art. 1. ibique Mey. n. 14. à jure vitia debitor adjudicandus est, quæ etiam adj. tantum locum habet, non autem in dignitate co. Exec. p. 1, 6, 6. n. 129.

the scale towards document



1. &
t aut
con
Com
r ihu
ren/
rum
pari
uis re
e au
ma
orum
qui
male
s do
utem
quod
m ce
num
verit
icun
c. 26.
Jure
ven-
ivatis
l. ob
otest
Jure
fer-
bejis
proc.
VII.